

Vos Genij, quibus est hominum data cura bonorum;
 Hunc juvenem salvo ducite quaeso pede.
 Non ipsum invadat diri contagio morbi:
 Latronum ladat nec violenta manus.
 Nec vos incolumem pigeat prestare: meretur
 Qui fosses veteri ponat in ade pedem.
 Non est incerto prognatus sanguine vulgi:
 Sed trahit a cetebris nobilitate genus.
 Degeneres animos odit: laudataq; gentis
 Nomina vult factis amplificare suis.
 Prosit, quod Musas quinquennia tota sequutus:
 Scilicet in Moravium qua viget GLA solo.
 Prosit, quod binos ALBINA Lycea per annos
 Incoluit, patrio dissitus orbe procul.
 Per vigil hic tempus studij insumsis honestis:
 Praecipue IVRIS cognitionis amans.
 Quam paucis mens hac! plures proverbium firman:
 Strymona Grusq; petit; Strymone Grusq; redit.
 Heu mihi quam doleat tellus genitalis, ubi istud
 Maturè perdat dulce bonumq; decus!
 Heu mihi quamq; parens sua pectora iundat uterq;
 Orbatu Nato, Spe, precioq; suo!
 Sed benè habet: vestro defensus munere, saluum
 Optatum tangeat recta paterna locum.
 Et caram patriam, dulcesq; beare parentes
 Innumera poteris commoditate diu.

Iohannes Hartungius
 Marixmontanus.



HONORI.
 NOVEM LEC-
 TISSIMORVM IV-
 VENVM PRIMA IN PHILOSO-
 PHIA INSIGNIA PVBLICE IN A-
 cademia Pragensi auferentium.
 5. Calend. Septemb: Anno

I 5 9 I.

DETERMINATO-
 RE R. V. M. IOHANNE ADA-
 mi Bystriceno, Præposito Collegij
 omnium Sanctorum, Aliàs
 Angelici.



PRAGAE:
 Excudebat Iohannes Schuman.
 Anno clb. Is. xci.


NOMINA CANDI-
DATORVM.

Iohannes Iunior Gryllus à Gryllova Raconensis.
 Simon Gelenius Suticens.
 Bohuslaus Bavor à Kosmaczova Tuftenus :
 Andreas Pihon Zdarenus.
 Matthias Galli Pragenus.
 Petrus Pisceni à Granifelda Pragenus.
 Valentinus Thobiæ Zatecenus.
 Adamus Prifer Freistadianus.
 Iohannes Duchosslai Pragenus.



1997 KK 69
 AKC. 16/18

N Vper ubi medio lucem librabat Olympo
 Sol radians, rapidusque suis fervoribus herbas
 Sirius urebat : species mihi fortè duorum
 Vifa virum campi spatio, quorum alter honesto
 Vernabat vultu radians, quem laurea ferta
 Ornabant, humeris arcum, dextraque sagittam
 Tendentem, pharetramque cavo thorace ferentem :
 Qualis erat nuper, iaculoque insignis & armis,
 Pieridumque choro stipatus, & agmine multo
 Spectantis turbæ, Baptistæ infanda Ioannis
 Fata pio cantu repetens, saltumque puellæ
 Lascivum memorans, & atrocia facta tyranni.
 Alter progrediens vasta se mole movebat,
 Cui sua livebant concreto labra veneno,
 Illuvie dira funestus, & horridus atro
 Intuitu, qualis propter sua crimina sæpe
 Ducitur ad corvos, mox litera longa futurus,
 Et qualem perhibent, qui carpserat omnia, Momum.
 Natum quippe putes Erebi stagnantis ad undas.
 Hic prior aggressus radiantem Heroa, procaci
 Alloquitur lingua, dictisque ita satur iniquis :
 Dic age Phœbe mihi, tibi cur Academia curæ est
 Pragensis? nam quid faciunt, qui nomine gaudent
 Illius? quos nempe tuo vocitare Magistros
 More soles, qui sacra tibi Collegia curant,
 Illi nil faciunt, nulloque labore tenentur.
 Inque Scholis nil prorsus agunt, petulansque juvenia
 Negligitur pigris à præceptoribus : omnes
 Mollia securæ traducunt otia vitæ.
 Hæc ubi mendaci maledicta procaciter ore
 Egereret : tum ponè sequens sic Cynthia infit :
 I procul ad nigros ò arbiter improbe corvos.
 Nil aliud malefane soles, sed talia semper
 Egeris : at si illi, quos carpis, mollia tantum
 Otia traducunt, nulloque labore tenentur :
 Dic age Mome mihi : quam crebrò conspicis, unde est
 Hæc juvenum numerosa cohors, qui digna suorum
 A nobis publicè studiorum præmia tollunt,

A

2

Et

Et nostræ folijs ornantur tempora Lauri?
 Ante dies aliquot nobis sacra festa tulere
 Bis deni iuvenes, studiorum digna suorum
 Præmia: nunc eadem referant ter præmia terni,
 Qui comites coluere meas, nobisque repertas
 Excoluere artes cura studioque fideli.
 Et nunc eximie templis prodesse Scholisque
 Conantur, publicæque Rei servire Deoque.
 Atque brevi plures etiam malefane videbis
 Conspicuos virtute simul nostrisque repertis.
 Vnde putas tales prodire? an Mome Magistros,
 Per quos hi sapiunt, nihil unquam egisse putabis?
 An, quia tu ignoras horum malefane labores,
 Iudice te tantum dicentur in otia solvi
 Molliæ, nec vigiles unquam tolerare labores?
 Egregiam verò fert ista calumnia laudem!
 Hæc ubi divino responsa referret ab ore
 Cynthius, & vellet meditatus plura referre:
 Ecce malus furtim se proripit arbiter inde,
 Ceu canis oblatrans, aut squamis decolor hydrus,
 Quum lapidem sustinere vident. Ego deinde paranti
 E medio campi Phœbo discedere, magnas
 Perfolui grates, quod nostros vindicet actus.

M. Adamus Rosacius..

ALIVD.

Non tam fixa altis hæret radicibus arbor
 Non rupes immota manet, non robora ferri
 Dura, nec æternæ solido ex Adamante columnæ:
 Ut manet æternam virtus & mole sua stat
 Gloriaque Aonidum tibi quam peperere sorores.
 Aspice tot monumenta Ducum Regumque labores.
 Aspice diverso tot parta sub orbe trophæa,
 Seu quæ præcipiti se curru mergit in undas
 Aequoreas Phæbus. seu quæ celer exit ab undis.
 Omnia perpetuis videas oppressa tenebris.
 Mæonides famam ni rerum & nomina servant.
 Non factis Macedo vivis, non fortibus ausis

Quæis

Quæis totum clarus quondam dominare per orbem
 Cuncta etenim tecum parvam rediguntur in urnam.
 Ni scripta eripiant te morte, & busta recludant.
 Non tu, ruderibus, multos dominata per annos
 Troja antiqua, potens armis, atque vberè glebæ.
 Cælo te tollis post fata & laudibus æquas.
 Ni Maro det vitam extinctæ, ni magnus Homerus
 O te felicem, qui sic extendere famam
 Niteris, & veterum vigilas clarescere chartis
 Ut cedet corpus fatijs, stat gloria, nullo
 Emoritura die, fati domitura procellas.
 Perge igitur cæptis, Phæbei gloria cætus
 Dum juvat, & castis potes impalescere Musis.
 Sic satagens servire Deo, patriæque bonisque
 Macte animi tanta virtute, & laudè perenni
 Perpes eris, dignè & dignâ celebrare famâ.

Martinus Galli
 Czernovicens.

ACADEMIA. loquitur.

DEpono tristes, ac lætos induo vultus,
 Ter trini gnati, viscera chara, mei.
 Post varios casus, redimitos tempora lauro,
 Nam vos aspicio, spes mea, fama, decus.
 Spes mea, fama, decus: quia Dixi Palladis artes
 Vos coluisse sacras, & didicisse patet.
 Hæc cæcas rerum faciunt cognoscere causas,
 Et solum pandunt cuncta creasse Deum.
 Hæcque metus omnes, & inexorabile fatum
 Subijciunt pedibus, cum Phlegetontis aquis.
 Informant mystas de religione docere
 Vera, Dei verè noscere sensa patris.
 Naturasque Sophis, Medicis viresque medendi
 Iuraque principibus suppeditare valent.

A. 3.

Quin

Quin almae semper ferre omnibus omnia possunt
 Artes, dant vitam post fera fata suis.
 Ac veluti Laurus nunquam mutare colorem
 Noxvit: sic vestri fama perennis erit.
 Non ergo mirum, quoniam diffundor in omnem
 Lætitiā. Vestrum est grata referre mihi.
 Vos ego vos genui, vos per me Laurea ferta
 Cingunt, & vobis conciliatur honos.
 Ingratas, mundi fabricator, punit acerbē
 Mentēs, cū Mosis pagina sacra docet.
 Grata referre, bona est virtus. Virtute Deorum
 Vitam, sed vitio Dæmonis accipimus.

Iohannes Picconides
 Piscenus.

ALIVD.

Æquoris ut possit scopulos tranare, nec ulla
 Calliopes sobolis carminis arte capi:
 Fune manus cohibet, cera vaser illinit aures.
 Vincit & hoc Ithacus monstra canora modo:
 Nimirum ad veros veræ virtutis honores
 Non patet, ignavis molliculiſque via.
 Otia ibi obsedere aditus & blanda voluptas:
 Hæc rapit elumbes: illa tenent residues.
 Dulcia promittunt: sed postea toxica præbent,
 Per caput & miseros in fera saxa rotant.
 Felix qui supera virtutis constitit arce
 Impiger, & furjas vicit, & vrsit iter.
 Pergite sic ultra, medioque abſistite calle
 Hæſiſſe: ô juvenum læta corona novem.
 In medio labor est: superate cacumina: major
 Quô labor hic fuerit: gloria major erit.

Venceslaus Ferrarius
 Tuſtenus.

Aliud

ALIVD.

Debita virtuti si tollas præmia Mundo,
 Nullus erit sacris honor aut cultura Camœnis.
 Contemptæ cunctis Musæ sine honore jacebunt,
 Nec docti fuerit decus aut pia cura pudoris:
 Quippe mali labes Mundique ruina volabit
 Barbaries paſſim, sædo quæ pectora cœno
 Immergens hominum virtutis tollet amorem.
 Præmia da meritis: cursu mox præpete tendent,
 Semita qua monstrat pulchræ virtutis ad arcem,
 Sunt ubi Musarum cantus, ubi doctus Apollo.
 Nam veluti infusus radiantia lumina pingui
 Humor alit succo: sic virtus crescit honore,
 Sic etiam hac doctæ crescunt ratione Camœne.
 Ecquid opus verbis? tu veri Academia testis:
 Namque tuo multos producis ab ubere lætus,
 Sæpè quibus pulchri sudoris præmia confers,
 Cum decoras viridi meritorum tempora Lauro
 Ut reliquum taceam: producti fertilis annos
 Ante duos nobis triginta atque in super octo,
 Nunc totidem juvenes: ignavi cedite FVCI,
 Qui nostrum atroci mordetis dente laborem.
 Vos viridi juvenes præcincti tempora Lauro.
 Vivite felices vobis, Matrique favete
 Quæ vos progenit, quæ vos modò curat & ornat.

AVGVSTINE DIES NOSTRO TIBI SPLENDET ab aXe
 Ut ferta PhœbVS fert sVa

Ter trinæ juvenum capienti hæc dona catervæ,
 Virtutis alma præmia.

Sophonias Rosacius
 Suticensis.

Aliud

A L I V D.

PRæmia virtuti dentur præclara : nefandis
 Horrida criminibus pæna venire solet:
 Et neque id immerito : virtutem spectat honestum
 Nomen, præclarum stemma, honor atque decus.
 Scilicet ut moveat segnes reprobisque pudorem
 Addat, virtutem quò coluisse sciant.
 Sæpè etenim reprobis peccatis abstinet atque
 Virtutem colit, ut præmia iusta videt
 Sæpeque peccantem pænæ ut comitantur acerbæ
 Virtutem sequitur, nec malus esse studet.
 At bonus ut pænas vitij, & præmia pulchræ
 Maxima virtuti proposita esse videt.
 Non horrore malj virtutem diligit, ast hanc
 Muneris apprehendit causâ : et amore sui.
 Sic non immeriti o vestrum cum Baccare cingunt,
 O juvenes, suavi Laurea ferta caput.
 Hæc etenim Rector Parnassj montis alumnis
 Esse putat Phœbus præmia digna suis.
 His offert Laurum assiduè qui castra sequuti
 Sunt sua, & Aonias qui coluère Deas
 Nunc vobis hæc parva, olim majora feretis
 Credite pro studijs præmia digna faris.
 Venceslaus Iunior Cyrillus à Kirs-
 feldo Pragenus.

A L I V D

S Tat mons Castalijs longè celeberrimus undis
 Parnassus, bifido qui petit astra iugo.
 Horridus aspectu, cæli conterminus astris.
 Culmine, sudato vix superandus equo.
 In præceps horret præruptis undique faxis,
 Excellens famâ, sed salebrosus iter.
 Delicijs plenus cunctarum vertice rerum
 Fessorum, meritis, dulce cubile, suis.

Præcinctus

Præcinctus folijs lauri baccæque nitescit
 (Quam gerit hei roseis pulchra vireta comis)
 Hic sunt virtutum domicilia grata phalangis
 Nec non ipse eo gaudet Apollo situ.
 Hic Charites ludunt manibus per mutua nexis,
 Lætitiæque sui splendet omne nemus.
 Hicque novenarum divina corona Sororum
 Gaudia perpetuæ virginittis agit.
 Carmine fervet apex, iterata voce resultant
 Valles, istius gratia tanta loci.
 Emeritis studio, duro pressis que laborum
 Hic, sudore, quies, fama decus que venit.
 Felices igitur quos non virtutis honestas :
 Nec quos ingenus fregerat artis onus :
 Ardua conscens montis fastigia, dicta
 Hic sibi Diis requiem quisque salute capit.
 Hinc Musæ lassis clari monumenta triumphj
 Innectunt capiti laurea ferta suo
 Quisque salutandus proin est hoc munere victor.
 Doctus & hoc omnis dignus honore coli.
 Sic meriti meritam carpant sua præmia famam
 Quos licuit dignos, sic suis extet honos.
 Sic ad honoriferos, sic sic juvat ire triumphos
 Ardua per præceps gloria sic it iter.
 Per varios casus ærumnarumque labores
 Sic virtutis opes promeruisse datur.
 Non ut desidie : non : sed sudore paretur
 Nobile virtutis, Dijs posuère, decus.
 Merces quippe sacræ virtutis fertur, honores
 Nominis & præstans nescia fama mori.
 Hac virtute nitens Alcides, Hector, Achilles
 Hac & Aristoteles hac Plato fama manet.
 Hæc quoque Mæonij claret reverentia vatis
 Claret & Aescræi gloria magna senis.
 Ergo novena cohors juvenum quos vivida virtus
 Et doctrina dat hoc nunc superare jugum
 Hac salvete diu fulgentes dote, laboris
 Præmia qui fertis laurea ferta sui.

B

Vivite

Vivite felices Patriæ fulcimina, vobis
 Parta quies, vitæ forsque peracta suæ.
 At nobis magnum restat maris æquor arandum
 Et longum vestras prendere posse rates.
 Tum loca multa prius sylvestribus obfita dumis
 Tangere quam meritâ vos, peragrandâ, manu.
 I prior alma cohors, delatos aufer honores
 Gratulor, exemplo subsequar ipse tuo.

Petrus Hebetis Præthetic :

Aliud.

Prorogat Alcides quid funera ? quid facit acrem
 Post sua Mithridaten vivere fata ? labor.
 Quid facit ut referat toties ex hoste triumphos
 Hannibal Ausoniam depopulando ? labor.
 Hectora quid, quid Scipiadas duo fulmina belli
 Post obitum facit hic nomen habere ? labor
 Ingenium quid dat miseris pulsoque veterino
 Rem parat & cum re mollia fata ? labor.
 Quid titulus Clarior, quid honoribus, augeat alumnos
 Equæ humili raptos tollit in alta ? labor
 Principibus placuisse viris (quæ maxima laus est)
 Quid facit excultos Marte vel arte ? labor.
 Improbis ergo labor facit omnia . luce, triumpho,
 Nomine, re, titulis, regis amore beat.
 Sic nimium voluere Dii sua dona parari
 Sic vixisse gravi cuique labore bonum.
 Et duris dubitamus adhuc tolerare labores
 Atque operi infvetas attenuare manus ?
 Non ita : mollis agas tua Sardanapale licebit
 Ocia, & ætatis tempora perde tuæ :
 Nobis concessos sudando ducere soles,
 Cura fit, in studio Pieridamque mora.
 Præmia non deerunt : Academia mater honores
 Muneraque Herculeo digna labore dabit,
 Non utor phaleris : en nunc datur ora tueri
 Baccare quæis pexas impedit illa comas.
 Felices animæ quibus hoc cognoscere primum,
 Atque labore decus quærere, cura fuit !

Vos non divitiæ, vos non vis extulit auri
 Sed labor, & famæ nobilioris honos.
 Certatim titulos igitur de Baccare Lauri
 Prendite, Daphneâ cingite fronde comas.
 Tu GRYLLE ante alios : sic qui modo GRYLVS es ex hoc
 Nobis cantator, tempore, CYGNVS eris.
 Ponè subî SIMON, Pallas vocat, esse Dianæ
 Cur studeas quando Palladis esse potes ?
 Tu quoque rumpe moras, Divum cui Gloria nomen
 Fecit, Apollinei gloria BAVVOR, agri.
 Est satis esse bonum, si non licet esse disertum :
 Et doctus, PIHAVN, & bonus esse studet.
 Virtus est medium, medium pete, PISTOR, arabit
 Hinc tibi honoratas Laurus opaca comas.
 Quam bene respondent rebus sua nomina, PETRVS
 Dicitur INFRACTA Pallada MENTE colens
 Serta VALENTINO quis Laurea deneget ? ille
 Ad profligandum Barbara castra VALET.
 Grammata PRIFERO cognomina, grammata curas
 Si dederant, eadem præmia jure negent ?
 Ultima cur teneas loca DVCHOSLAVE requiris ?
 Si qua alia, hæc facti causa probanda subest.
 Vt, tibi quæ nomen dat Gloria Flaminis, illam
 Des superis, præsens quod benè cessit opus,
 Quod benè pensavit vestros divina labores
 Gratia carminibus non reticenda tuis.
 Dij faciant, vester (quid n. nisi vota supersunt ?)
 Crescendi vires postmodo summat honor,
 Utque viret Laurus, semper sic ille vire scat
 Hæc esto voti summa caputque mei.

Iohannes Martinides Vodanus.

Aliud.

Est aliquid niti majorum laude nepotes,
 Et generis longum stirpe referre genus.
 Haud tamen hac generis mens vivida forte tenetur,
 Virtutis studio nititur illa suæ.
 Nil opis externæ Virtus, nihil indiga laudis
 Vulgi, divitijs est animosa suis.

Quæritur

Quæritur hæc studijs: honor illius arte paratur:
 Materiam siquidem laudis & artis habet.
 Ardua laus artis: quid tum? scit in ardua virtus
 Tendere, nec remoram, quâ reprimatur, habet.
 Hæc bona solerti vendit sperata labore
 (In vita est homini deside nulla salus.)
 Ac velut imposito non cedit pondere palma
 Sed magis exurgens fortiter urget onus:
 Sic virtutis amans, sociâ virtute, labores
 Sustinet, & captis vltiora petit.
 Exitus acta probat: docet Hector, testis Achilles.
 Laus quibus æternum parva labore, viget.
 Herculeas premerent taciturna silentia laudes,
 Si non Lernæo Victor in angue foret.
 Abscissum quamvis caput angvis cæde revexit,
 Interitusque novi causa vigoris erat.
 Augustus potuit contentus euntibus annis
 Et patris & patriæ finibus esse suæ.
 Haud vigor hoc animi, generosæ mentis & ardor,
 Naturæ arcana vi subigente, tulit.
 Virtutum stimulos humanæ gloria menti
 Inserit, & tacitum gloria calcar habet.
 Vos quoque ni juvenes pareretis nomina factis,
 Vestra tenebrosa nocte sepulta forant.
 Felix, iudicium qui non popolare secutus
 Dum monitis ætas erudienda fuit.
 Nam juvat a teneris assuescere, primaque radix
 Quæ nata est terrâ, firmior esse solet
 Ocia qui quis amat, teneros malè collocat annos,
 Nec curat senij secla futura sui.
 Felix, qui non est contentus laude parentum
 Sed titulos titulis accumulare fludet.
 Non oleum perijt, perijt nec cura laborque:
 Cuncta sed eventu concomitatur honos.
 Vestraque Daphneâ decorantur tempora Lauro
 Et fert optatam succus amarus opem.
 Inunc vulgus iners, mercedem deme laborj
 Innixum generis speque fideque tui.

Inunc

I nunc divitias victuris imprime cedris
 Expertes seræ posteritatis opes.
 Et genus & gazæ, fatis obnoxia, fatis
 Dispereunt, nec opem, quâ teneantur, habent.
 Sola stat immotis Virtus immota periclis
 Et fugit extremos, tristia fata, rogos.
 Ergo voluptati magnæ est, vos fruge laboris
 Et simul optata commoditate frui.
 Quilibet at pro se Spartam, quam nactus, adornet
 Et quod suscepit currere, currat iter.
 Magna quidem Laus est Clarum Virtute parare
 Laus major partum posse tenere decus.
 Sic magis asserta celebratur ab vrbe Camillus,
 Quam Remus, extructæ qui prius Author erat.
 Sic vestrum ventura decus mirabitur ætas
 Hocque nepos titulo nobilitatus erit.

Eteodistichon,

AVGVSTI septena Dies qVater aCta reLV Cet
 IngenIo Vr Vobis CresCit & arte DeCVs.
 Iohannes Matthæides
 Seleravinus.

ALIVD

Nil vos. O balidæ, clarorum fama priorum,
 Nobilitas vulgo suspicienda, juvat.
 Amfitryoniadæ nil sanguine ducere prodest,
 De Iove sit quamvis cælipotente, genus.
 Hæc nisi præclarè robusto corde geratis,
 Maximus ante omnes quæis fuit ille viros.
 Ac nisi stet factis, quodcumque hic degitur ævi,
 Optima moliri, semper honesta sequi.
 Sic ait ille quidem Spartanæ Legifer vrbis,
 De vobis eadem dicere jure queo.
 Eximij juvenes, hoc vestro pectore sedit,
 A tenerisque Boni sedula cura fuit.
 Ecquis adhuc dubitet? videat monumenta laborum,
 Et studia ad vigiles continuata faces.

B 3

Semita

Scrima virtutis labor est, vigilantia, curæ :
 Quisquis eo pergat tramite : clarus erit.
 Aspiciat Lauri præcinctas baccare frontes,
 Haud ciungunt crines Delia ferta rudes.
 Qui dignè meruit, digno decoratur honore
 Indignum immerito nullus honestat honor.
 Maeste tua virtute igitur stirps inclyta Czechî,
 Quæ geminas animi nobilitate genus.
 Maeste & Apollineâ frontem redimita coronâ,
 Virtuti propriæ, convenit illa tuæ.
 Aeternus scopus hic, hic murus aheneus esto :
 OPTIMA MOLIRI, SEMPER HONE-
 STA SEQUI.

V. Zabonius à V.

ALIVD.

Emeritam meritis decus est extendere famam
 Fontisquæ Aonidum latices libare sororum,
 Et vulgi tenues studio superare labores
 Non modo contingant peritura gaudia vitæ
 Tot vitata malis, stygijsquæ immersa lacunis.
 Sed mage, divinæ splendeat gloria Legis
 Et qua sæcundi sinuoso gurgite ponti
 Vnda pater, pateat reverentia juris & æqui
 Iam versa in tenebras, scabra rubigine læsa
 Non secus ac denso infossus carbunculus arvo
 Obductusquæ situ pluviis quem Iuppiter vndis
 Occulit Agricola attrito sædavit aratro.
 Interea tamen in cineres ne victa, fatiscat.
 Neve dolo terris petat ardua fessa relictis,
 Aetheris æternas Rector qui flectit habenas
 Insignes pietate viros, studiiquæ potentes
 Excitat, & dignè digno dignatur honore
 Quo veluti stimulis summa ad fastigia rerum
 Aspirent, tardos detrudant sede bubulcos
 Sede per immensum quâ dent moderamina mundum
 Iuris & insanæ frangant convicia linguæ.

Hinc

Hinc animos juvenum sacras accendit ad artes :
 Præmia proponit iustorum iusta laborum
 Certatim sese invitent, summiquæ sagaci
 Ingenio, supra transcendunt culminis arces
 Thespiadum custos quas servat turba sororum
 Et sic innumeros maneat par cura nepotes.
 Quod sese nobis ipsum modo sponte videndum
 Præbet, quum nostris juvenes ornantur in oris
 Et meritis operum capiuntquæ feruntquæ coronas.
 Felices nimium quos non contagio mundi
 Corripuit, nec segnities, turpisquæ libido
 Turpiter infectis, popularisquæ aura fefellit.
 Monstravitquæ vias cæli, lunæquæ labores
 Defectus solis vartos Cyllenia Proles.

Ergo laudandi merito, meritoquæ probandi
 Qui geritis tales animos, & pectora tanta,
 Pergite, Barbariem curvas intrare latebras
 Urgete, occulto revocate infecta veneno
 Dia reperta, sacris cornutos pellite FVCS
 Fontibus, & nitidâ redimiti tempora Lauro
 Ite pij, patrios, nam fas, ornate Penates
 Ite, & finitimas, celebres estote per oras.

Eteostichon.

Ars portVs Vltæ, posItto pretIo sIor ære.
 PræMia sed sI qVæ sVnt sVa LaVrVs habet.
 Iohannes Sequenides
 Czernovicenus.

Ornavit juvenes lauri quos dactyl. nove sunt
Grillus, Gelenius, Beina Bawo / Pihomius
Mathias Galli Piscem Petrus et inde
Valent, Thobia, Prifer, Duchoslav atq.

Vel brevius
Grillus, Geleni, Bawor, Pihomius atq
Galli, Piscem, Thobia, Prifer, Duchoslav.



Carmen

CONTINENS

DESCRIPTIONEM CE-
LEBERRIMAE VRBIS PRA-
GAE, REGNI BOHEMIAE METRO-
POLIS, SCRIPTVM

AD AMPLISSI-
MOS CONSULES ET
prudentissimos Veteris, Novæ, & Mi-
noris PRAGAE Senatores

IOHANNES HVBECIO

Castauino Collegij Reginae alumno.

IN DESCRIPTIONEM
PRAGAE.

Sicilicet ut Virtus, comes artibus, arte probatur:

Verum ars Virtutis laude probata, viget.

Czechica sic partem, nihil externa indiget, laudem

Posteritas, iuncta posteritate refert.

Res movet affectus: sed finis ab ordine pendet:

Cetera, re Lector que probet, Author habet.

I. M. Z.

PRAGAE

Excudebat Iohannes Schuman.

Anno M. D. XCI.

Domino Valentino Thobia latente no
argum philosophiae faciat leuino Author dedit